

dum, quod permeabile non fit proprium coeli, sed accidens tantum quoddam commune, quia aliis etiam convenit, ut vel unico aquæ exemplo patet. Permeabile autem esse coelum ex eo liquet, quod stellis advenientibus cedit, & in recedentiū loca iterum confluit, quod fieri non posset si esset durum & solidum.

§. 23. Dicitur 8. coelum esse corpus omnia inferiora ambiens. Hoc nulli alii corpori tribui verè potest, præterquam soli coelo. Nullum enim tantæ quantitatis est corpus, quod tam horrendam mundi inferioris molem ambire queat. Unde rursus colligi potest insignis coeli quantitas.

§. 24. Dicitur denique 9. *Stellas, quæ in ipso moventur, in se continens.* In quibus verbis, duo asserta comprehenduntur. *Primum*, stellas in coelo contineri; *alterum* easdem in eodem moveri. Utrumq; contestantur sensus, adeò ut demonstratio omnis sit supervacanea, cum optima sit probatio, quæ oculorum est. Hoc saltem observationem meretur, notanter dictum esse: quæ in ipso moventur. Per hæc enim verba innuitur, coelum actu non moveri, sed stellas tantum, quæ in coelo continentur.

SECTIO II.

CONTINENS QUÆSTIONES QUASDAM.

QUÆSTIO I.

*Quidnam sentiendum sit de Cælo Empyreò?*

Cæ.